

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1576

Autre(s) référence(s) : Fauroux 132 / Tabuteau 205

Auteur(s) : Néel [prêtre]

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1054-1055]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume le Bâtard ratifie la donation du prêtre Néel (Niellus) qui, au moment de faire profession au monastère du Mont-Saint-Michel, donne à l'abbaye son alleu de Sainte-Colombe.

Le duc Guillaume concède pour sa part au monastère les coutumes et les services de cette terre, secundum morem Normanniæ.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces just., n° 24, p. 27.

b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 132, p. 305-307.

Dissertation critique

1054 ou peut-être 1055. Sur la datation de cet acte, voir FAUROUX, p. 305-306.

Texte établi d'après b

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Ego Niellus presbiter, apud Montem Sancti Michaelis in servitio Guillelmi Normannorum principis cum Stephano capellano ipsius degens, gravissima depressus infirmitate ac sollicitus de anime mee salute, cum consilio meorum concedo Deo Sanctoque Michaeli ac suis monachis terram quæ dicitur Sancta Columba, quam habui in alodum a Guillelmo Normannorum duce, tali conventionem ut ipsi monachi qui nunc me recipiunt in suum consortium sub monachili professione, absque ulla calumpnia meorum heredum ipsam in perpetuum terram in dominio possideant, in omni successiva generatione. Precor autem eundem piissimum principem, ut huic mee donationi assensum prebeat, quia tam pro sue et heredum suorum quam pro meæ salute anime fateor me sancto Michaeli, id dare beneficium ut apud Deum ipsum habeamus intercessorem assiduam. Quoniam igitur omnino sentio diem obitus mihi imminere, precor omnes qui se fatentur me integro amore dilexisse, ut si aliquis, quod absit, temptaverit huic mee donationi calumpniam inferre, mei vice studeant unanimiter obsistere, ne aliquo modo hanc sancto Michaeli ejusque monachis possit auferre. Qui vero hanc invadere presumpserit Deo sanctoque Michaeli archangelo cogatur rationem reddere in die iudicii atque cum Juda traditore Domini ceterisque ad sinistram constituendis æternis gehenne tradatur incendiis. Hujus donationis testes sunt, qui signum crucis subter impresserunt. Signum Nielli +. S. Hugolini filii Giruardi

+ . S. Waleranni +. S. Osberni Pavionis +. S. Restaldi scutellairi +. S. Guarini filii Ernaldi +. S. Morini Pistoris +. Ego Guillelmus, Dei gratia Normannorum dux, supplici petitione rogatus abbate et fratribus Montis Sancti Michaelis, plurimisque meis fidelibus concedo Deo et sancto Michaeli sibique servientibus monachis terram quæ dicitur Sancta Columba sicut eam dedit Niellus clericus qui eam de me tenebat in alodum, quem etiam ob hoc monachi secum receperunt sub habitu monachili. Consuetudines quoque et servicia omnia quæ de terra exeunt, secundum morem Normanniæ, ipsi sancto et monachis in ipsa terra perpetualiter possidenda trado. Si quis autem de ipsa terra vel de consuetudinibus aliquid subtrahere sancto voluerit auctoritate Patris et Filii et Spiritus Sancti, perpetue sit addictus maledictioni reddatque rationem de hoc sancto Michaeli, in die iudicii. Ad corroborandam hanc donationem, manu propria signum vivificæ crucis subpressi. S. Guillelmi comitis Normanniæ +. S. Maurilii archiepiscopi +. S. Gaufredi episcopi Constantiensis +. S. Odonis episcopi Baiocensis +. S. Hugonis episcopi Abrincensis +. S. Nielli vicecomitis +. S. Guillelmi filii Osberni. + S. Guillelmi de Vualvilla +. Acta est hæc carta et firmata, anno ab Incarnatione Domini millesimo .LIIII., indictione septima, concurrentibus .V., epactis novem, regnante Henrico Francorum rege et Guillelmo Normannorum principe.